

SCHOLARCHATUS MVNVS
 VIRO
 PRÆNOBILISSIMO, AMPLISSIMO
 ATQVE
 CONSVLTISSIMO DOMINO
 DOMINO
 FRID. REINHOLDO
 HORN

CONSVLI CIVITATIS MERITISSIMO

P. T.

REI MOLENDINARIÆ PRÆFECTO

A. MDCCLXV D. X APRILIS

PRIMVM COLLATVM

OBSTRACTISSIMO ANIMO

GRATVLATVR

GYMNASII DRVSIACI NOMINE
 EPHRAIM OHLERT

LINGV. HEBR. ET GR. PROF. EXTR. NEC NON R. M. C.

De

Schola DEI Univerſa
 diſſertans.

ELBINGÆ

TYPIS NOHRMANNIANIS.

SCHOLARSHIPS
VIRGO
PRÆNOBILISSIMO, AMPLISSIMO
ATQUE
CONSULTISSIMO DOMINO
DOMINO
FRID. REINHOLDO
HORN

CONSULI CIVITATIS MERITISSIMO

P. T.

REI MUNIFICENTIAE PRAESIDI

M. MDCCCLX. D. X. APRILIS

PRIMUM COLLAUIM

GRATISSIMO ANIMO

GRATULAMUR

GYMNASII DRUSIACENSIS NOMINE

FRID. REINHOLD

LINGV. HELL. ET GR. PROF. EXT. H. H. H.

DE

Schola Del. Univ.

1811. 1812.

ELBINGÆ

TYPI MONASTICI



Hominis cognitionem salvificam proh dolor! post lapsum nullam esse, eandemque illi plane impossibilem gratia revelante & illuminante destituto, quis est qui dubitat? Quodsi enim divinæ naturæ majestatem, mysteriorumque divinorum sublimitatem, ut & intellectus nostri infirmitatem respiciamus: de hoc omnino convincimur. **DEVS** ab omni re creata est distinctus, quippe qui summus incomprehensibilisque, lumen habitans inaccessum, quem hominum nullus neque vidit neque videre potest. ^{a)} Quapropter Paulus ejus immensitatem admirans o altam inquit, sapientiæ cognitionisque **DEI** opulentiam! quam penitus recondita ejus judicia! quam abtrusæ rationes! ^{b)} Quæ vero quantaque mysteriorum sublimitas! quam homo animalis propriis viribus nec cogitare, nec scrutari potest, quippe quæ mysteria ex imperscrutabili sapientiæ abyssu promanant. Ad quod hominis ipsius intellectus infirmitas accedit, qui natura est debilis hæbesque. **DEVS** e contrario numen infinitum nec non incom-

* 2

prehen-

^{a)} 1 Tim. VI, 15.

^{b)} Röm. XI, 33.



prehensibile. Quam ob causam DEVS Tersanctus semetipsum revelavit & hominibus aliam vel aliam exstruxit scholam immunem universalemque. Tua DOMINE, pace agam de illa, musarum Drusiacarum interpres, de Tuo Scholarchatus munere sibi gratulantium. Primum mihi occurrit naturæ schola, qua DEVS in principio operibus se manifestavit, cœlum terramque sex dierum spatio verbo suo efficaci ex nihilo produciens, ut summum bonum independens se creaturis communicaret; creaturæ autem ratione præditæ eum ex operibus omnipotenter productis cognoscerent, colerent glorificarentque. O nos felices naturam, DEI scholam frequentantes! Qua duplici modo DEVS nos docet. *Primo*, nos educendo extra nos, ut res creatas sive sint animatæ, sive inanimatæ, sive rationales, sive irrationales oculis adspiciamus nostris. Quali ratione Abrahamum Patriarcham iussit exire, adspice, inquit, in cœlum & stellas enumera si enumerare potes. ^{c)} Christus ipse generis humani redemptor, adspicite, inquit, volucres acreas ut neque ferant neque metant, nec in cellas congerant, tamen coelestis Pater vester eas alit: discite ut terrestria crescant lilia neque laborando, neque nendo. Quodsi terrestrem herbam (quæ hodie est, & cras in clibanum conjicitur) sic vestit, nonne multo magis Vos, o parum fidentes. ^{d)} Quatuor in naturæ libro quasi folia invenimus, scilicet cœlum, aerem, mare,

^{c)} Gen. XV, 5.

^{d)} Math. VI. 26. 28. 30.



mare, terramque, quorum singula tot argumentorum copiam
cuique nostrum ob oculos ponunt, quot ad illud demonst-
randum: DEVM esse, eundemque majesticum, sint necessaria.
Quam ob causam David, regius Propheta & inanimatas & irra-
tionales ad DEI ipsius laudem exhortatur, ut in ejus Psalmis
apparet. Inter alia eum cœli, inquit, atque terræ, eum maria,
quæque in eis moventur omnia collaudabunt. ^{e)} Ad quod quæ-
rendum est: quomodo creaturæ inanimatæ irrationalesque DEVM
laudare possint? Respondemus & confirmamus, eorum laudare
non fieri effective, id est, ita ut hæ creaturæ DEVM cognoscant
ut homines & angeli, sed modo objective, id est, ita ut tantum
sint testes bonitatis divinæ, divinæque sapientiæ ac omnipoten-
tiæ suimetipsius creatoris, nobisque occasionem præbeant DEI
laudandi, universi creatoris. Quam ob rem Jesaias Propheta, at-
tollite, inquit, in sublime oculos vestros & adspicite, quis illa
creaverit, qui eorum exercitum numero educit, suo quodque
nomine vocans tanta virtute, tamque firmis viribus ut nullus
desit. ^{f)} Quali modo & Paulus Athenis orationem instituit
suam, aram cum ibi videret, in qua inscriptum erat: Ignoto
DEO. Quo & salvatoris ipsius pertinent similia ex rebus creatis
sumpta, quibus nos edocere voluit, illa creata non solum eo ex
capite adesse, ut homo illis dominaretur, illisque suæ utilitatis
gratia

e) Ps. LXIX, 35. c. CXLVIII, per totum.

f) Jes. XL, 26.



gratia uteretur, sed etiam ut ad cognoscendum *DEVM* nobis in-
servirent. Quem finem licet homo ante lapsum multo facilius
esset adeptus: tamen post lapsum ejusmodi creaturarum applica-
tio non plane est negligenda, sed grato animo bene collocanda.
Secundo nos inducendo in nosmetipsos, quo pertinet nostra con-
scientia, cujus mentionem facit Propheta Jesaias redite, inqui-
ens fontes ad mentem. g) Cognitionis enim *DEI* naturalis su-
perstites scintillulae in homineprehenduntur, quae eum ad-
monent: *DEVM* esse justum, sanctumque, punientem mala, bo-
naeque remunerantem, eundemque esse colendum. Ex quibus
internum conscientiae exoritur testimonium, maleficientes excru-
tiantis accusantisve, eorum crimina licet sint aliis haud cognita.
Quapropter divus Apostolus Paulus inter alia: quum enim ex-
terarum nationum homines, inquit, legem non habentes, natura
legitima faciant, ii legem non habentes sibi ipsi lex sunt: qui
quidem ostendant, legis opus in suis animis inscriptum: id quod
testabitur eorum conscientia & utrorumque cogitationes eos vel
accusabunt, vel defendent, quo die judicabit *DEVS* arcana
hominum ex evangelio meo per *JESVM* Christum. h)

Progrediamur ad aliam *DEI* Scholam, quae est gratiae uni-
versalis immunisque, qua *DEVS* cognitionis ex natura haustae
defectus refarcit, nec non homines ex statu miseriae in statum
gratiae,

g) Jcf. XLVI, 8.

h) Röm. II, 14-16.



gratiæ, nisi malitiose resistent, convertit, ita ut non amplius disceant extremiscere DEVM omnipotentem, sanctum, justumque, sed ut plus quam filiali amore in eum afficiantur misericordem, & exorabilem, ad iram tardum, ad clementiam & auxilium propensum quippe qui clementia in mille usque ætates utitur, vitia & peccata & delicta condonans. ⁱ⁾ Qua in schola nos DEVS duplici modo docet, tam externe per verbum quod sumere, legere, meditarique valemus, quam interne per vim Spiritus Sancti cum verbo conjunctam, quæ una eademque est vis & scripturæ & Spiritus Sancti. Merito hic cum Mose exclamamus: O DEVS hominum sane Amator, cujus sancti omnes sunt in manu Tua & quidem ad pedes tuos prosternuntur, eo de Tuis dictis sumente. ^{k)} Revelavit DEVS in illo scripturæ libro essentiam suam, tres scilicet esse in una eademque essentia divina, personas, quas vocat scriptura Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, quorum secunda in plenitudine temporis veram naturam assumpsit humanam, ut non solum in illa opus redemptionis consumeret, sed etiam suam voluntatem sive sit legis sive evangelii, quin quod ordinem salutis nobis ob oculos poneret, qui in eo consistit, ut, cum omnes ac singuli natura sint peccatores, per fidem in Christum, Hominum & DEI mediatorem coram DEO iusti evadere possint, eamque fidem bonis operibus approbare, sacramentique

Sacrae

ⁱ⁾ Exod. XXXIV, 7.^{k)} Deut. XXXIII, 3.



Sacræ coenæ usu corroborare. Quem divinæ revelationis librum DEVS primum protoplastis nostris aperuit inimicitias, inquit, inter te & mulierem, interque tuum & ejus semen conciliabo, ut illud tibi caput, tu illi calcem illidas. ^{l)} Deinde in Veteri Testamento per Mosen & Prophetas, in Novo autem per Christum & ejus Apostolos magis magisque aperire fecit. Igitur David regius Propheta inter alia ex hoc gloriatur capite dicens: is sua dicta Jacobæis, sua placita & sententias Israelitis indicavit. Id quod fecit ulli cæterarum gentium, nec illæ jura norunt. ^{m)} Cui respondit Apostolus Paulus DEVS, inquit, qui lucem ex tenebris lucere jussit, is est qui nostris illuxit animis ad claritatem cognitionis gloriæ DEI in JESU Christi persona, ⁿ⁾ & ad Hebræos: multifariam & multipliciter olim DEVS majores per vates adloquutus, postremis hisce temporibus adloquutus est nos per filium, quem omnium statuit hæredem, per quem etiam mundum fecit. ^{o)} Pergamus ad alterum nos docendi modum in hac gratiæ schola, qui est internus. Qui in eo consistit, ut Spiritus Sanctus mediante verbo DEI attente lecto vel auditu percepto cor hominis pulset, intellectum illuminet & voluntatem ad obsequium flectat, ita ut homo illuminatus ex internis motibus quippe qui spirituales, vere sentiat, se a DEO ipso doceri. Nam

l) Gen. III, 15.

m) Ps. CXLVII, 19. 20.

n) 2 Cor. IV, 6.

o) Hebr. I, 1. 2.



Nam spiritus est, ut Johannes loquitur, qui testatur, siquidem spiritus est veritas. ^{p)} Quod & Apostolus Paulus affirmat evangelium nostrum, inquit, non fuit apud vos in verbis duntaxat positum, sed cum potentia, Sanctoque Spiritu, & certissimis argumentis conjunctum. ^{q)} O quam quantamque DEI gratiam in ejusmodi gratiæ schola exsplendescentem! O altam sapientiæ cognitionisque DEI opulentiam! Quis est, qui cum Davide non exclamet: Gustate & videte, quam bonus sit DEVS, quamque felix & homo qui ei confidit. ^{r)} Verum enim vero cum hæc viatorum cognitio nihilo tamen minus valde sit imperfecta, licet sit a DEO ipso in homine non morose resistente, mediante verbo suo producta: aliam nobis præparavit scholam, quæ est Patriæ sive gloriæ, eademque in cælo, quo ad plenariam perfectamque DEI ejusque mysteriorum divinorum cognitionem sumus perventuri. Nonne hæc, si respicimus naturæ & gratiæ scholam, Academia meretur nominari? Nonne altiora ibidem ediscemus? Nonne perfectissima? Quæ gloriæ schola jamjam a DEO ipso in Veteri Testamento est promissa, nec jamjam inter se, inquit, docebunt alius alium ad DEVM cognoscendum cohortantes, quin universi me parvi juxta ac magni cognoscent. ^{s)} Cujus promissionis gratiosæ impletio Novi Testamenti temporibus

* *

quidem

p) 1 Joh. V, 6. q) 1 Thess. I, 5. c. II, 13. r) Ps. XXXIV, 9.

s) Jer. XXXI, 34.

quidem est facta evangelii prædicatione nec non Spiritus Sancti illuminatione, sed tantum inchoative, consumativa autem erit in vita æterna, qua electi summo cognitionis gradu sunt gravifuri. Si novum evolvamus Testamentum: quam plurima hujus gloriæ scholæ invenimus Testimonia, quorum pauca lectu digna notabimus. Inter alia eminet Apostoli Pauli gloriantis effatum sequenti modo scribentis: Aliquatenus scimus, & aliquatenus vaticinamur. Sed cum venerit perfectio, tum quod aliquatenus sit, delebitur: Nunc enim per speculum cernimus per ambages: at tunc præsentem coram. Nunc aliquatenus cognosco: at tunc recognoscam quemadmodum recognitus sum. ¹⁾ Nonne tunc perfecte percognoscemus: quomodo tres diversæ personæ unius ejusdemque essentiæ sint participes? nonne quomodo filius a patre ab æterno sit genitus? nonne, quomodo Spiritus Sanctus a patre & filio sit spiratus? nonne quam ob causam nec pater nec Spiritus Sanctus sed tantum filius humanam naturam in suam personalitatem receperit? quomodo humana natura cum divina sit personaliter conjuncta? & quæ sunt reliqua, quæ nec oculus hominis vidit, nec auris audivit, nec animus cogitavit, quæ præparavit DEVS suis amatoribus. ^{u)}

mabup

**

Gymna-

1) I Cor. XIII, 9. 10. 12. c. 2 Cor. V, 7. it. I Joh. III, 2. c. Ps.

XXXVI, 10.

u) I Cor. II, 9. DEX 11



Gymnasium nostrum, quod ex DEI gratia & AMPLISSIMI SENATUS liberalitate quam celeberrimum constat inter omnes, tam scholæ naturæ quam gratiæ est compendium, quo nos modo faciliori exhaurimus, quæ de DEO & de nostra cum illo conjunctione scitu sunt necessaria, quæque nos ad scholam gloriæ manducunt. Quo majora itaque ex illo in nos redundant beneficia, eo majora sunt officia quæ cadant in nos erga Superiores, qui scholam nostram curæ cordique habent. Cum jamjam, VIR PRÆNOPILISSIME, ex amore plusquam paterno in nos, TVAS Musas, ejusmodi curam ex voto AMPLISSIMI MAGISTRATUS, in TE suscepisti: alta voce exclamamus: O nos felices, OPTIMO SCHOLARCHA condecorati! Reverentiæ itaque nostræ, nostræque pietatis in TE, DOMINE, haud repudiabis primitias quibus ex officiorum nostrorum observantia TIBI sumus subjecti; quæque omnem nostram curam nobis liceat TVA pace in sinum TVVM paternum revolvamus. DEVS T. O. M. summus



summus Protoscholarcha Gymnasium nostrum reddat felicis-
 simum, magis magisque florescens, TEQUE, GRAVIS-
 SIME SCHOLARCHA sevet sospitem atque in-
 columem! Avertat a TE, TVAque GENTE Generosa
 omnes calamitates. Conferat e contrario in TE omnem
 prosperitatem felicitatemque. TE CONSVLE AM-
 PLISSIMO vigeat res publica Elbingensis! TE
 SCHOLARCHA OPTIMO floreat Gymna-
 sium, Spiritus Sancti officina floreat,
 floreat!

